

inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat. *S. Lig. n. 381.*

397. — *R. ad 2^m Quæ.* GABINUS non licite substitit ad SALADINUM occidendum, sed fugere debuit. Ratio est, quia aggressio vitæ non erat adhuc actualis, sed minæ tantum intentabantur. Non est autem licita defensio, præsertim mortem inferendo, ubi non est aggressio. Insuper nunquam licet aggressorem etiam vitæ occidere, nisi alia via mors propria vitari nequeat. Sed in casu nostro supererat alia via, nempe fuga capessenda. Potuisset autem GABINUS resistere, etiam defensione occisiva, si fugiens animadvertisset ad periculum sibi imminens, quod jam declinari non posset. *S. Lig. n. 387.*

398. — *R. ad 3^m Quæ.* Nequaquam. Ratio patet ex dictis. Etenim non poterat GABINUS occidere ad vitandam calumniam, ut in responsione ad 1^m Quæsitum jam dictum est; deinde non poterat eum occidere ratione aggressionis actualis, siquidem ille fugit, nec fuit aggressor. Ergo SALADINUS, ut homicidii reus, omnino est damnandus.

CASUS IX.

DE ABORTU 1^o.

GASPAR, medicus, generalem vitæ præteritæ confessionem instituens, sequentia Confessario aperit: 1^o se olim cuidam mulieri gravidæ pharmacum dedisse ad conceptionem impediendam, ut gravissimum removeret mortis periculum, quod illi imminere ex experientia noverat: id tamen solum directe intendit, scilicet ut mulieris salutem procuraret; 2^o se alteri mulieri gravidæ, alioquin certo perituræ, medicinam salutarem præbuisse ad morbum efficaciter depellendum, sed prævidebat prolem etiam enecandam fore; 3^o se mulieri tertiæ, quæ secus in certo mortis periculo versabatur pharmacum præbuisse ad foetum occidendum, simulque expellendum, ut liberata mater e morbo convalescere posset. Interrogatus vero a Confessario an in hoc postremo casu pro certo haberet, foetum, etiam secluso pharmaco, absque Baptismo extinctum iri, respondet affirmative, scilicet sibi visum fuisse æquale abortus periculum futurum esse, sive medicinam sumeret mater, sive illa abstineret.

HINC:

QUÆR. 1^o *An aliquando liceat abortum procurare?*

2^o *Quid de singulis casibus sentiendum?*

3^o *An GASPAR in aliquam censuram incidit?*

SOLUTIO:

399. — *R. ad 1^m Quæ.* Nunquam licet abortum procurare *directe*, sub quocumque prætextu mortis vitandæ... Ratio est, quia, si foetus fuerit animatus est homicidium proprie dictum; si animatus nondum sit, est homicidium anticipatum.

Licet autem aliquando abortum permittere, administrando matri remedia

foetui nociva, si conditiones sequentes concurrant: 1^o ut agatur de morbo lethali matris; 2^o ut mors infantis non intendatur, neque directe procuretur; ideoque remedia foetui nociva sint *per se* ad morbum matris curandum *directe* et *immediate* efficacia; 3^o ut nulla sit spes Baptismum proli procurandi, v. g. si certum sit eam simul cum matre morituram. *S. Lig. n. 394. — Lacroix, n. 826 et seq.*

400. — *R. ad 2^m Quæ.* In primo casu, peccavit graviter GASPAR, quia jura naturæ graviter violavit, impediendo quominus homo concipi posset; neque verum est eum non intendisse *directe* conceptionem impedire: *mentitur enim iniquitas sibi*, siquidem ad hoc expresse remedia dirigit, sicut media ad finem.

In secundo casu, non est reprehendendus GASPAR, dummodo fuerint simul omnes conditiones supra requisitæ.

In tertio casu, peccavit graviter, homicidium verum *directe* patrando; etenim, licet bonum finem sibi proposuerit, volendo matrem e summo periculo liberare id tamen per remedium de se graviter illicitum attentavit: *non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona*; nec obstat quod proles sit etiam peritura, quia est semper verum homicidium patrare.

401. — *R. ad 3^m Quæ.* GASPAR incurrit tum irregularitatem, tum excommunicationem, in tertio casu, si foetus fuerit animatus, ut censetur esse quando adeo valetudini matris nocivus est. Attamen excommunicatio non est Papæ reservata, sed ab Episcopo absolvi potest. *V. S. Lig. n. 395. — V. Comp. n. 402 et seq. — V. Constit. Apostol. sedis.*

CASUS X.

ABORTUS 2^o.*Salus matris in jactura prolis.*

PELAGIA, mulier, a quatuor vel quinque mensibus prægnans, in summo vitæ periculo constituitur, et videtur jamjam animam efflatura. Præter medicum ordinarium, tres alii advocantur consilii capessendi causa. Re sedulo perpensa, sic unanimiter resolvunt: si ope artis medicalis procuretur ejectio foetus, hic quidem peribit, sed probabiliter poterit baptizari antequam extinguatur, et mater certo mortis periculo eripietur. E contrario, nisi ita fiat, actum est tum de matre, tum de prole, et hæc beneficio Baptismi carebit. His statutis, concludunt ad abortum procurandum. Eventus prævisionem medicorum probavit: proles enim ejecta, et baptizata, illico exstincta est, et PELAGIA salva e tanto periculo evasit.

HINC:

QUÆR. *Quid juris? Seu an, stante casu, ut jacet, abortus procurari potuerit?*

SOLUTIO:

402. — *Resp. Neg.* omnino. Nam abortus ex se et ex natura sua est verum homicidium. Assumitur autem et intenditur *in se* a prædictis medicis, tanquam medium ad matrem salvandam; et, ut ipsi aiunt, ad procurandum baptismum prolis; ergo, licet illum ad bonum finem referant,

directe tamen intendunt atque procurant homicidium; ergo graviter peccant. — Magnum est igitur discrimen inter casum præsentem et id quod 2º loco proponebatur, in casu præcedenti. Quando enim remedium aliquod, seipso, unaque et eadem efficacia, utrumque effectum simul producere potest, sanandi matrem et prolem occidendi, effectus sunt sibi invicem paralleli, unusque non assumitur necessario, re aut intentione, tanquam medium ad alium obtinendum. At vero, quando abortus prius in se intenditur et procuratur, ut ejus ope postea salvetur mater et puer baptizetur, quæritur malum ut eveniat bonum, quod nunquam licuit, neque unquam licebit.

403. — *Objicies* 1º Non intervenit in casu directa occisio fœtus; hic enim tantum amovetur a loco in quo vivere non potest, et statuitur in alio loco in quo magis vitam producere nequit, et proinde in peiori conditione minime constituitur, atque aliunde beneficio Baptismi donari potest.

R. imo et est directa occisio. Quantumvis enim verba emolliantur, qui actione positiva et voluntaria statuit aliquem in loco, in quo v. g. suffocatur, aut in quo tandem vi legum naturalium vivere nequeat, vere illum et directe occidit, sive illum reponat sive non reponat in peiori conditione; sive intendat, sive non intendat optimum cæteroquin finem. Quis unquam dicat, non vere occidi infirmum jam agonizantem ac certo moriturum, qui in flumen aut stagnum projiceretur, sub prætextu quod statuitur in loco in quo vitam magis producere nequit, et proinde in peiori conditione minime constituitur?

Objicies 2º Mater in nostro casu justa de causa mere cessat a vita prolis custodienda. Porro, ut scite observat *Lugo, de justitia et jure, disp. 10, n. 133*, mater non tenetur cum tanto vitæ suæ periculo et detrimento fœtum conservare.

Resp. Neg. antec. Neque enim PELAGIA mere cessat a vita prolis conservanda, sed ei vitam adimit, procurando actione positiva et voluntaria, ut nondum matura ex utero ejiciatur. Verba autem *Lugonis* non sunt ad rem, cum ipse loco cit. questionem tractet a nostra plane diversam. Id nempe tantum asserit, non teneri matrem cum vitæ suæ periculo et detrimento, relinquere, ad fœtum conservandum, remedium, quo *immediate* sanabitur, quamvis *per accidens* secuturus sit abortus.

Objicies 3º Fœtus est injustus aggressor; aut saltem æquiparari potest innocenti, qui una cum injusto aggressore, legitime occiditur.

R. Neg. utrumque assertum Namque 1º qui ex solo causarum naturalium cursu, fit alteri causa mortis, dici nequit aggressor sive formaliter, sive materialiter injustus. 2º Quidquid sit de comparatione cum innocente, certum est nunquam posse innocentem prius occidi, ut postea repellatur injusta aggressio; id autem fit in præsentem casu. *V. Comp. n. 402 et 403.*

CASUS XI.

DE DUELLO 1º.

PHILEMON, officialis bellicus, Confessarium adit: « Pater, inquit, cupio confiteri, ut ad mortem me disponam. Etenim sum provocatus ad duellum

ab alio officiali, nec ullatenus pugnam recusare possum; quia imprimis alias honor meus graviter patitur, ineptusque deinceps ad officia bellica habebor; insuper, nisi compaream, nullus militum amplius sub me militabit; imo ab officio meo secedere cogor; uxorem proinde et liberos alere non potero. Velis igitur, Pater, confessionem meam excipere. Volo enim confiteri perinde ac si hodie ante tribunal Christi comparere debeam, cum certaminis exitum prorsus ignorem. » Confessarius, audita confessione, PHILEMONEM absolvit, et in pace dimittit.

HINC :

QUÆR. 1º *An in tanta extremitate positus PHILEMON pugnam non detrectare, et absolvi potuerit?*

2º *Quid, si recusanti adversarius arma proponat, mortem minitendo, nisi acceptet?*

SOLUTIO :

404. — *R. ad 1º Quæs.* Minime gentium! Ratio est, quia occisio alterius, privata auctoritate, est semper quid intrinsece malum; repugnat enim rectæ rationi medium istud adhibere ad ignominiam vel alia incommoda vitanda, cum evidenti æternæ vitæ suæ aut alterius periculo. Vera æstimatio non in judicio perversorum hominum consistit; ex quo vera gloria nullam patitur jacturam apud sensatos homines: verum, etiamsi PHILEMON famæ et honorum detrimentum quam maximum subiret, non ideo ipsi licitum foret, ad incommoda temporalia vitanda, facere id quod intrinsece malum est. Nec dicas provocationem ad duellum esse injustam aggressionem, contra quam se defendere cuique licitum est; nam provocatio ad duellum non est actualis aggressio, et facile per non-acceptationem declinari potest.

Constat etiam ex quinque propositionibus a *Benedicto XIV* damnatis, præsertim ex tertia quæ sic jacet: *Non incurrit ecclesiasticas penas contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ vel officii V. S. Lig. n. 400*, contra, *Elbel*, etc...

405. — *R. ad 2º Quæs.* Si adversarius absolute congregi velit, armaque proponat, et mortem minitet nisi pugna acceptetur, nec adsit alia via periculum mortis proximum evadendi; pugnare licet ad injustam aggressionem repellendam. Sed nefas est se conferre ad alium locum, requirere testes, differre certamen ad tempus determinatum, quia tunc duellum proprie dictum interveniet. *V. Comp. n. 404.*

CASUS XII.

DE DUELLO 2º.

1º SULPITIUS, inveterato odio ardens contra CRISPINUM, stricto ense, mortem huic intentat, nisi statim se conferat extra portam civitatis ad duellandum. CRISPINUS, metu adactus, duellum acceptat et SULPITIUM occidit.

2º FRIDERICUS, vir nobilis, arundine percussus a FLAVIO pariter nobili, pro honore suo recuperando, eum provocat ad duellum, loco et tempore

condicto. Hic acceptat, sed animo non duellandi, sciensque certo pugnam esse impediendam.

HINC :

QUÆR. 1° *An CRISPINUS licite duello pugnare potuerit in primo casu?*

2° *An FLAVIUS licite duellum acceptaverit in secundo casu?*

SOLUTIO :

406. — *R. ad 1^m Quæs.* CRISPINUS minime duellum acceptare potuit, ne quidem ex gravissimo metu mortis, quia duellum est quid intrinsece malum, quod nulla ratione excusari potest. Neque dicas esse licitum *vim vi repellere*, seu se tueri contra injustum aggressorem; quia duellum non est defensio, sed pugna privata, jure naturali prohibita. Accessus enim ad locum designatum non est necessarius ad justam sui defensionem. Sed potuit CRISPINUS auxilium implorare, verbis amicis animum adversarii insipientis placare, vel ei dicere: Ego me tuebor, ubicumque invasus fuero. Et reapse, si invadatur ab altero, nec possit vitam salvare nisi ejus occasione, eum licite occidere potest. Tunc enim nullatenus duello confliget.

407. — *R. ad 2^m Quæs.* Neque FLAVIUS duellum acceptare potuit animo non pugnandi, vel ex prævisione obstaculi opponendi. Ratio est, quia illi qui duellum in loco designato suscipiunt, ab aliis credi possunt se duello concertaturos, et ita iis scandalum præbent. Præterea leges Ecclesiæ non tantum prohibent cædes, sed etiam intendunt *detestabilem* duellorum usum exterminare; huic autem fini repugnant duella etiam ficta. *Reuter, part. 3, n. 380.* — Probabile est tamen ipsum excusari a censuris in duellantes latis. *V. Compend. t. II, n. 998, q. 2°.*

CASUS XIII.

CASUS BELLII.

RECAREDUS, rex, putans sibi competere jus saltem probabile in terras regno suo affines, ab alio rege possessas, coadunato exercitu, bellum indicit, repugnantibus tamen civibus non paucis et conspicuis, qui judicant non esse *casum belli*. Inchoatur pugna. Strenue decertant hinc et inde milites. Tandem RECAREDUS, exhaustus, paciscitur cum rege adversario, jure suo qualicumque remisso. Verum, an sincere aut fecte, nescio. Quidquid sit, reparatis viribus, resumit bellum, putans se non teneri fœdere inito, ex eo quod ad illud coactus fuerit, et sibi injuriosum sit.

HINC :

QUÆR. 1° *An bellum indici possit cum jure tantum probabili?*

2° *An rex teneatur servare pacta publica vi extorta?*

3° *Quid de casu?*

SOLUTIO :

408. — *R. ad 1^m Quæs.* 1° Non licet regi bellum indicere cum opinione minus probabili, quia rex succedit judici qui non potest judicare secundum opinionem minus probabilem. *Ita communiter Theologi.*

2° Nec licet bellum gerere cum æquali probabilitate juris, si pro parte

adversa stat possessio certa ac legitima, quia in hoc casu judex possessorem a sua possessione non deturbaret, juxta receptissimum axioma: *In dubio seu in paritate juris, melior est conditio possidentis.* Ita communiter contra plures.

409. — 3° Quid vero, si major probabilitas non possidenti faveat? *Controvertitur.* Alii dicunt id satis esse ut bellum licite fiat, quia in eo casu majus est jus non possidentis, et revera in judicio res, de qua lis moveretur, huic tribueretur; nec est judex qui ei favere possit. Ergo ipse jus suum bello repetere potest. *Ita Suarez, etc...* Sed alii requirunt moralem certitudinem juris, quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, quæ ex bello sequuntur, habenda est juris certitudo. *Ita Elbel.—Tambur., etc.—S. Lig., n. 404,* dicit hanc posteriorem sententiam longe probabiliorem esse; et licet admittat probabilitatem prioris sententiæ, speculative loquendo, concludit cum *Roncaglia et Salmant.,* quod, cum bellum ferat secum maxima incommoda, flagitia et damna reipublicæ, Religioni, innocentibus, practice loquendo, vix unquam justum videri potest, si ex solis probabilibus rationibus, et non certis inferatur.

410. — *R. ad 2^m Quæs. Affirm.* Ratio est, quia fœdera publica per jus gentium, omni humano generi commune, introducta sunt, sic exigente bono communi generis humani. Etenim, nisi pacta publica inter tot principes diversos, et subditos, omnimode servanda essent, nulla pax aut societas stabilis consistere posset; sed via perpetuis bellis et cædibus aperiretur.

411. — *Nec obstat 1°* quod forte altera pars per vim ad fœdus injustum, seu sibi perniciosum adacta fuerit, quod in bellis plerumque fit: nam, si hæc ratio valeret, cum quisque bellum gerens arbitretur plerumque jus sibi competere, posset pars quælibet postea dicere sibi vim fuisse illatam, ideoque fœdus a se rescindi posse, quod vergeret in maximam generis humani perniciem. Etenim nulla pax jam iniri, neque bella perpetua vitari possent.

Nec obstat 2° quod fœdus initum, sit tali principi, vel tali reipublicæ perniciosum: nam bonum unius regni, principatus vel reipublicæ, bono communi universali totius generis humani cedere debet.

412. — *Nec obstat 3°* quod ex injuria nasci nequeat jus illi a quo infertur, neque obligatio illi qui eam patitur. Nam: 1° jus et obligatio non nascuntur immediate ex injuria, sed ex consensu quem victa pars præstat, eligens minus malum præ graviore. 2° Præterea, vel vere consentit in pacem eamque sincere juramento firmat, vel non: si prius, remittere debet injuriam saltem conditionate, seu, nisi exurgat alia causa justæ belli, si posterius, mendax et perjurus fuit, nec a fœdere potest recedere ob rationem datam, sed adhuc debet consensum præstare pro universali bono communi. *Reuter, part. 3, n. 510.*

413. — *R. ad 3^m Quæs.* 1° RECAREDUS non potuit bellum gerere, si habuit minorem aut æqualem probabilitatem juris; imo, neque si credat habere majorem probabilitatem, juxta doctrinam quæ dicitur a *S. Ligorio* practice tenenda. 2° Neque potuit resumere bellum, postquam fœdere publico cum adversario pacem sanciverit, et jus quod putabat habere omnino et palam remiserit.

SEXTUM ET NONUM
DECALOGI PRÆCEPTUM

Non mæchaberis. — Non concupisces. (Exord. 20. 14 et 17.)

Hoc duplici præcepto vetatur quæcumque luxuria : prius actus externos, posterius internos directe prohibet. Ea autem quæ directe ab alterutro, etiam indirecte ab altero vetantur. Quamvis non videatur, stricte loquendo prohiberi sexto et nono præcepto, nisi solum adulterium, quod sub nomine *mæchiæ* in sacris Scripturis venit, nihilominus, ex communi interpretatione SS. Patrum et Doctorum, prohibentur etiam fornicatio et alia quælibet impudicitia, quæ aliunde in aliis S. Scripturæ locis, et jure naturali specialiter proscribi demonstratur.

Inutile prorsus nobis videtur casus de sexto et nono Decalogi præcepto proponere. Etenim, quæ ad lubricam et putidam illam materiam spectant, cum sint in praxi adeo frequentia, sat obvia apparent, nec tot difficultatibus scatent. Sufficiat igitur ut benevolus lector, quoad doctrinam necessario addiscendam, remittatur ad Compendium nostrum Theol. mor. *de sexto Præcepto*, a n. 410 ad n. 436.

Attamen, in Tractatu de Matrimonio, nonnullos casus statuemus de iis quæ ad statum conjugalem referuntur.

SEPTIMUM ET DECIMUM
DECALOGI PRÆCEPTUM

Non furtum facies. (Exod. 20. 15.) — *Non concupisces domum proximi tui*, etc. (*Ibid.* 17).

Prohibetur, hoc utroque præcepto, actus proximo injuriosus in bonis fortunæ : prius præcipue et directe actus externos, et posterius internos afficit. Quatenus negativum, duplex illud præceptum prohibet non solum furtum, sed etiam quamlibet rei alienæ ablationem et usum, invito rationabiliter domino, et etiam quamlibet juris alieni læsionem. Quatenus affirmativum, obligat ad restitutionem, ad damna compensanda, ad debitum solutionem, et ad justitiam in contractibus servandam.

Hic nullos ponimus casus de furto, de variis injustitiis, earumque reparatione, quia in Tractatu speciali de Justitia et Contractibus, his de rebus, casus multiplices statuentur.